

bio probari potest, quoniam in Libro *de Natura Humana*, Cap. 9. §. 15. apertè docuit ipsam libidinis voluptatem, ex parte quidem esse voluptatem animi, inde scilicet perceptam quod quis alteri se placere sentiat. Absurdissimum autem est, quòd voluptatem animi agnoscere exinde sumi, quòd alteri gratum quiddam fieret uni & in re levissimi momenti, quum interim non agnoscat voluptatem animo humano majorem indè nasci, quòd plurimis simul impensiùs gratificemur, cùm illorum & mentibus & corporibus inservimus bonum commune procurando per fidem, gratitudinem & humanitatem, etiam cùm non eidem, potestati Civili subjiciamur.

Denique in libro *de Homine*, Cap. II. §. 14. ubi de industria in bonis quodnam majus aut minus sit, investigat, apertè testatur majus esse (cæteris paribus) quod pluribus Bonum quàm quod paucioribus.

CAPUT IV.

De Dictaminibus practicis.

PRæmittendum est huic capiti, non omnes hominum actus dictamina, aut notiones dictaminibus æquivalentes supponere. Apprehensiones enim primæ, & motus quidam spiritum seu imaginationes, nonnunquam etiam motus Musculorum, ut nictus Oculorum, vel subitanea ab amicis resilitio sine dictamine fieri videntur; pluri etiam infantis actus, ut comparationes, judicia &c. de jucundis & noxiis, quibus tamen the-

O 4

fau-